



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

XXV. De organo potentiæ olfactus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

men loquendo non esse necessariam, sed sufficere multiplicationem specierum, quod tantum fortè voluerit Commentator supra, & Venetus textu 97. adducta experientia cupressi, & quorundam aliorum corporum, quæ longo tempore aquæ redolent, ac sine diminutione: non ergo euaporantur, alioquin diminuerentur, vt in plerisque docet experientia. Et hæc videtur mens Aristotelis sectione 12. problematum question. 10. vbi quaerens, an à re odorabili progrediatur aliquid ad sensum, negatiuè concludit, quia aliàs, inquit, oporteret rem minorem reddi, nunc autem ea, quæ odoratissima sunt, eadem videmus durare. Est & alia experientia: nam res odorifera intra aequam sentitur, vbi tamen nihil exhalat. Accedit tandem ratio, sensus enim à solis speciebus immutantur, species autem fieri possunt absque exhalatione, per se loquendo, cum non habeant necessariam connexionem.

6. *Oppositio ex Aristotele, & D. Th.*
 Oppones Aristotelem de sensu, & sensibili, capit. 2. afferentem, organum olfactus non debere esse calidum, eo quod odorabile, cum fumosa euaporatio sit, calidum est: immutatur ergo ab ipso vapore, utpote à dissimili, alioquin ratio non procederet, & cap. 5. docet vaporisationem odoris illa in sensorium. D. Thomas etià 1. part. question. 78. artic. 3. scribit oportere obiectum olfactus moueri secundum alterationem caloris, vt inspirat odorem. Neuter tamen exigit vaporisationem hæc vt simpliciter necessariam, sed tantum vt magis conducantem: quia etiam communiter, & regulariter fit, necessaria dici potest, maxime in nobis, in quibus olfactus est obtusissimus.

CAPVT XXV.

De organo, & potentia olfactus, ac etiam de medio actusque odorandi.

1. *D*E organo huius sensus varia est Philosophorum sententia, ad quam diuersitatem intelligendam, notandum, quod in anteriori parte cerebri sunt quasi duæ cellulae, quæ ventriculi cerebri dicuntur, à quibus progrediuntur duo nervi, mammillares appellati, quæ eorum extrema sunt quasi pupillæ: est præterea natus duabus patulus vijs, quibus recta itur ad illos nervos. Igitur sententia Galeni est organum odoratus residere in ventriculis cerebri. Ita habet 8. de vsu partium, & lib. de instrumento odoratus. Idem tenet Auicenna 6. naturalium, part. 1. cap. 5. Albertus 2. de Anima, cap. 26. Philoponus fol. 65. col. 2. & 4. At Vesalius lib. 4. cap. 3. vult organum hoc consistere in ossiculis mammillaribus, quem plerique moderni sequuntur, Magnesijs verò lib. de sensu particulari, cap. 22. sentit per cartilagineas narium deriuari nervos, in quibus consistit sensorium odoratus: Aristotelis sententia obscura est in hac parte, nam section. 13. problematum, quaest. 5. ait in animalibus respirantibus fieri odorisationem, accedentibus odoribus ad cerebrum, vbi tamen non affirmat in cerebro exerceri odorandi actum, sed explicat id, quod sæpe talem actum comitatur. Primo autem de historia animalium, cap. 11. solum dixit per vias narium subministrari olfactum, & lib. 2. cap. 12. de narium pronuntiauit continere meatum odorandi, & libr. 4. cap. 8. quod sicut externorum sensuum, ita olfactus constitutum est diuersorium, id est, organum, nam atque, inquit, generi foramina tantum sunt odorandi, cum alijs etiam nares inlinit, quo indicat in narium constitui organum, & 2. de partibus, cap. 16. ostendit diuersitatem organorum olfactus ex diuersitate narium, & 2. de Generatione animalium, cap. 4. significat organum odoratus oriri à cerebro, sic-

ut organum auditus, atque ad eod alibi residere. In hac re non potest itari certa conclusio: at in primis sententia Galeni odorisationem fieri in cerebro, non videtur probanda, & idem existimo de sententia Vesalii, illæ enim partes de substantia cerebri sunt, cum tamen cerebrum sit sensuum omnium sensuum, & ideo nullius organum: sed omnibus caret, nisi fortè tactu aliquo, vnde ab eodem Galeno lib. 3. de causis symptomatum, organum non sentiens cerebrum appellatur, quod optimè illi obiecit Commentator lib. 1. Collectaneorum, cap. 7. & lib. 2. cap. 17. Præterea non est maior ratio cur in cerebro, collocetur organum olfactus, quam visus, vel auditus: ergo, &c. Pro-babilior itaque videtur sententia, afferens organum odorandi iacere in interiori parte nasi, quam etiam amplectitur Valles lib. 2. cap. 22. ac confirmat primo, quia odoratio fit in naso: ibi ergo sensorium existit. Probat antecedens, quia ibi est sensatio vbi voluptas, sed hæc in naso percipitur: ergo. Secundo cum vapores odoriferi ascendant vsque ad cerebrum confortandum, consonum rationi est, vt olfactus, quasi explorator vaporum locetur ante cerebrum, sicut in gustu obseruatum videmus, esse scilicet in ore collocatum, quasi in ianua, vt possit de cibis iudicare, antequam ad ventriculum demittantur. Addit tamen Valles odorisationem non tantum in narium fieri, sed in ipsis visceribus etiam, ac tota ea parte, per quam & ad quam respiratio protenditur, quod putat sensisse Platonem dialogo de natura. Hoc tamen falsum videtur, arbitrarique ante partem illam, in quam incurrunt meatus oris, & nasi ad pulmonem, organum olfactus residere, non vltra: alias sicut respirando per nares odoramur, ita respirando per os perciperemus odores, quod contra experientiam est, ac Philosophos omnes.

Vltimò aduertendum est olfactandi organum diuersimodè disponi in diuersis animalibus, de quo latè Aristoteles 4. de historia, cap. 10. 2. de partibus, cap. 16. de sensu, & sensibili, cap. 2. Etenim quædam habent olfactum opertum, alia verò minime, quæ differentia, per se loquendo, non est essentialis, vt aduertit Sanctus Thomas de sensu, & sensibili, section. 14. Quæret verò aliquis, quod elementum in hoc sensorio prædominetur, diximus namque organum visus esse aqueum, auditus aereum: Aristoteles ergo de sensu, & sensibili, capit. 2. indicat organum olfactus esse igneum, at in 2. de Anima, textu 130. docet ignem in nullo organo sensuum prædominari, sed oculum, ait, ex aqua, auris ex aere, olfactus ex horum altero consistat: probabilius itaque videtur temperamentum huius organi esse quasi medium inter aquam, & ignem, atque aerem, vt substantia organi consonet obiecto sensus, est enim odor in calido, & sicco temperatis: vnde quandam temperiem requirit: probabile ergo est similem requiri ab ipso sensu. Sed interit, quia organum esse non debet affatim calidum, ac humidum, cum sit in potentia ad actionem obiecti: atque hæc est mens Aristotelis in citato loco de Anima: cum verò alibi illud tribuit igni, non significat ei prædominari ignem, sed quando actum elicit ignem prædominari, quia nimirum calefit à vapore odorifero, vt exornit Sanctus Thomas, & hæc de organo. Ex quibus licet colligere quid sit ipsa potentia odorandi, est enim facultas quædam residens in explicato sensorio intra nares, apta, vt immutetur ab odoribus, illosque sentiat.

Circa actum huiusmodi potentie prædictæ in communi, solum restat aduertendum, animalia tantum respirantia olfacere respirando, atque adeo in aere tantum olfacere, non in aqua, vt docet Aristoteles 2. de Anima, textu 100. canlamque reddidit,

SVAREZ
de Angelis, op
re 6. d. 1. rum, et
anima.

Tom. III

D. V.

Diuerfa sententia de organo olfactus.

Aristotelis in hac re sententia obscura.

reddat, quia intra nasum datur operculum in vi-
ad sensum, quod non nisi per respirationem ele-
uatur. Galenus supra hoc irridet operculum, cum
ex anatomia non deprehendatur: vnde causam
aliā asserit, non posse sentiri odores, nisi respi-
rando, quia nequeunt aliter penetrare usque ad
ventriculos cerebri: hæc verò ratio falsum sup-
ponit, estque insufficient, quia si via ad olfactum
non esset occlusa, nulla esset ratio cur non pene-
trarent species odoris semel intra nasum posita
usque ad cerebrum, etiam respiratione cessante:
est ergo occlusa via operculum autem non est pars
aliqua, sicut palpebra in oculo, sed via arctissima
in parte interiori nasi, quæ respiratione dilatatur:
compressio ergo illius dicitur operculum, vnde
eodem textu 100. Aristoteles ait, quod in respiran-
tibus amouetur operculum dilatatis venis, ac mea-
tibus, & ex hoc colligit Aristoteles animalia respi-
rantia non olfacere in aqua, quod de terrestribus
intelligendum est, nam quædam sunt aquatilia,
quæ respirant, vt rana, 4. de historia, cap. 7. & del-
phines capite demisso etiam sub aquis odorantur,
mouentur etiam ad eam de nocte, cum illam vi-
dere non possunt: tunc ergo olfactu ducuntur:
quando autem Arist. 2. de Anim. textu 98. videtur
homini olfactum propriè tribuere respirando, i-
dem de reliquis animalibus sentit, quæ similem
nasi compositionem habent, vt ita in textu cen-
tesimo exponit.

CAPVT XXVI.

Utrum obiecta gustus, & tactus immutent
potentias realiter, vel inten-
tionaliter.

DE his duobus sensibus, quoniam ipse se ma-
gnam vicinitatem habent, & vt de vtriusque et-
iam consulamus, simul dicendum est. De obiectis
autem eorum secundum naturam, dictum à nobis
est, obiectum quippe gustus est sapor, obiectum
verò tactus sunt qualitates primæ, aliæque non-
nullæ ex eis profuentes, de quibus in 2. de Genera-
tione egimus: solum ergo restat explicare modum
quo hæc obiecta immutant sensus: opinatur enim
aliqui immutare illos sola materiali alteratione,
quam sententiam defendit Valles. lib. 2. c. 29. Quia
probatur primo, nam dicti sensus, quoties sentiunt
materialiter alterantur, vt experientia constat:
hoc autem sufficit, vt obiectum sentiri dicatur: er-
go. Secundò si tactus sentiret per species inten-
tionales, etiam in organo tactus esset calor, vt qua-
tuor, posset nihilominus tactus percipere calidum
aliud, vt quatuor: consequens est falsum: ergo.
Patet sequela, quia realis calor, & species caloris
non repugnant esse simul: ergo licet habeat calo-
rem, vt quatuor realiter, recipere poterit species
alterius caloris, vt quatuor: ergo, &c. Tertiò si per
species intentionales eiusmodi sensus ageretur, vti-
que in instanti ageretur: nam productio specierum
instantanea esse potest. Consequens est falsum,
cum ignis, verbi gratia, applicatur successiue, ma-
gis, ac magis sentiatur: ergo, &c.

2. Difficultas huius questionis potissimè habet
locum in tactu, penderetque eius decisio ex alio pun-
cto, an quando manus, verbi gratia, sentit calo-
rem, illum sentiat, quem subiecit in hæsiu, an
eum, qui est in calefaciente: nam si calorem perci-
pit in hæsiu, ipse erit sufficiens ad causan-
dam sensationem sui absque specie alia: si verò
sentit in altero subiecto existentem, necessaria erit
species: hinc ergo incipiendo sit prima conclusio.
Gustus, & tactus non sentiunt qualitates suis or-
ganis inherentes, sed qualitates rerum eos alte-
rantium. Hæc conclusio, quod ad gustum attinet,

est mihi certa: experientia quippe euidenter do-
cet, gustum non percipere saporem sibi inheren-
tem: sed rei sapidæ, ac distinctæ. Et ratio id de-
monstrat, sapor enim qualitas actiua non est, sicut
neque odor, solamque resultat ex mixture pri-
marum, vnde quando Aristoteles 2. de Anima,
textu 126. ait corpora insensibilia pati non nihil à
regustabili, materialiter intelligendum venit, id
est, non rem gustabilem, vt sic per saporem ali-
quid agere in rem insensibilem, sed per humorem
saporis coniunctum. Quod verò ad tactum atti-
net, aduertendum, illum per multa membra ex-
tendi, quæ inæqualiter affecta esse possunt à quali-
tatibus tangibilibus. Est ergo sensus conclusionis
quoad hanc tangendi facultatem, nullam partem
tactu præditam sentire calorem, vel alias qualita-
tes sibi inherentes: posse tamen sentire calorem
partis vicinæ, si sit excellentior. Quo certè modo
aliquando sentimus calorem ab intus: sem-
per ergo is qui sentitur calor, alterius rei est, vel
partis calefacientis, non is qui inheret parti
sentienti.

Probatur ergo conclusio sic declarata primo à
paritate rationis aliorum sensuum, nullus enim
eorum sentit sibi inherentes qualitates: ergo
neque tactus sentiet calorem inherentes sibi. Se-
cundò, quia iam tactus continuo sentiret, quia
semper aliqua qualitates primæ ei inhererent: con-
sequens verò est contra experientiam. Dicitur
fortè non sentire qualitates secundum gradus sibi
connaturales, sed secundum excessum. At hinc sal-
tem sequitur quoties calor, vel frigus inheret
in gradu præternaturali, continuam sensationem
in tactu dari, quod repugnat experientiæ: nam si
quis manum igni applicet, sentit calorem, si re-
moueat, non sentit, & tamen aliquandiu durat
calor manus intensior, quam sit ipse naturalis.

Præterea arguitur contra euersionem. Nam si ca-
lor naturalis remittatur, & postea intendatur, &
que ad debitam intensionem naturalem, talis cale-
factio, sentietur: ergo calor in naturali intensio-
ne tactu percipitur, atque adeo, si calor inherens,
& connaturalis sentitur, semper planè sentietur.
Occurrunt alij tactum non sentire calorem in fa-
cto esse, sed in heri, hoc verò falsum est, nam quod
sentitur primò, & per se, qualitas sensibilis est,
hæc autem calor est ipse in facto esse: nam in heri
motus vocatur, atque inter sensibilia communia
ponitur. Tertiò arguitur principaliter, nam ta-
ctus maiorem calorem percipit, quam sibi inha-
reat: ergo non percipit sibi inherentes, sed po-
tius rei calefacientis, si enim proprium sentiret, il-
lum certè, & non maiorem sentiret. Antecedens
verò ostenditur. Nam cum quis igni applicatur,
sentit illico, vehementer, ac molestem calorem:
& tamen totum nondum recepit: tum quia lon-
giori egeret mora: tum etiam quia si ab igne mo-
ueatur, protinus illam caloris vehementiam non
sentiet. Quartò arguitur, nam tactus sentit duri-
tiem, & mollietatem, & similes alias, euidentis vero
est non sentire eas sibi inherentes, sed inherentes
rei tactæ, vt durietatem lapidis: ergo idem modus
sentiendi datur respectu qualitatū primarum,
nam vnus sensus vnus est sentiendi modus. Et
confirmatur, quia calor igni inherens qualitas sen-
sibilis est: ergo potens immutare tactum sufficenti
modo, vt sentiatur: ipse ergo est, qui verè sentitur.

Sed contra. Qui à sole calefit, calorem sentit,
non solis, quia nullus in illo est: ergo sibi inheren-
tem. Negatur tamen consequentia, ac dicendum
vnamquamque corporis partem sentire calorem
sibi proximum, omnes verò calorem tum corpo-
ris circumstantis, tum etiam sanguinis, qui inten-
ditur, effunditurque ad partes exteriores. Denique
sentiri etiam calorem exhalationum, quæ à sole

Probat
quoad
gustum.

Notatio pro
probatione
quoad tactum.

3. Probat
1.

Secundò.

Enaso ex
cluditur.

Et impu-
gnatur.

Altera ena-
sio refutatur.

Tertiò.

Quartò.

Confirmatur.

4. Obiectum
eiusdem
modi.

gen.